



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Episcopi sollicitudo in orationibus publicis Cap. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

mortis pericula paratissimo animo subire potius, quam fideles, Christi sanguine redemptos, ac sibi precipue in curam traditos, in summa penè omnium adiumentorum necessitate deserere.

4 Reliqui etiam Sacerdotes, & Clerici, qui Ecclesiæ stipendio aluntur, ut Dei laudes concelebrent, precesque pro populo adhibeant, tunc maxime intelligent, sibi in statione, & quasi in perenni vigilia quadam Sacerdotali, & Clericali manendū esse; cum diuinæ iræ placatio exoretur oportet, supplicationibus, litanijs, sacrificijs, frequenti sacramentorum usu, & alijs Christianæ religionis ministerijs, quæ potissimum sacerdotalis officij sunt.

5 Populus uerò non modo longius à patria, quæ una omnes omnium charitates complectitur, non refugiet; sed præ illius amore persistet; hocque unum sibi præscribet, ut ereptis in orbem erroribus, conuulsisq; uitiorum seminibus, unde pestiferam labem, atque exitium comparatum esse existimare debet, criminum, & peccatorum, quæcumque conceperit, admiserit, uerè sanctèque pœniteat, & uitæ emendandæ propositum, fixa deliberatione suscipiat, supplex item quàm frequentissimè ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis læ ostendit, funestaque ærumna oppressos, suæ itè diuinæ benignitatis ope subleuat.

### Episcopi sollicitudo in orationibus publicis.

Cap.

V.

#### S Y M M A R I U M.

- 1 Processiones triduanæ ab Episcopo indicendæ.
- 2 Et qua humilitate agendæ.
- 3 Oratio quadraginta horarum celebranda; in qua sermo singulis horis habendus.
- 4 Peccatorum confessio, & communio.
- 5 Processiones uniuscuiusque Collegij.
- 6 Statio certarum Ecclesiarum.
- 7 Oratio matutina, & vespertina.
- 8 Oratio sine intermissione.
- 9 Litanie quotidiana.
- 10 Ieiunium, feria sexta, & Sabbatho.
- 11 Benedictio ædium.
- 12 Litteræ ad Metropolitanum, & alios Episcopos.

Iam

- 1** Am uerò Episcopus, ad quem gregis custodiendi perpetua cura refertur, ut uniuersi populi supplicantis religiosa, solemnique oratione Deum placet, cum primùm in locis finitimis pestis grassatur, certas, statasque publicas processiones triuanas non semel; sed iterum, atque adeò sapius, si opus erit, & in urbe, & Diocesi indicet, quas ieiunio, eleemosyna, sacco, cilicio, omniq; mēsto, & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitentię publicæ modo, uocibus ex intimo animo ad misericordię implorationem emissis, gemitu, lachrymis profusis, intentissimo assiduarum precum studio, & omni denique non externo solum, sed interno pietatis religiosę officio sanctè agi, atque celebrari iudebit.
- Ad quas processiones etiam sanctorum reliquias sacras, præsertim, quę insigniores sunt, uniuersè aliquando adhibebit.
- 3** Statam illam, & solemnem orationem quadraginta horarum, religiosè celebrabit: ad quam uniuersus Clerus, & populus, per certas regiones, & Parochias distinctus, ex Concilij Prouincialis quarti decreto, piè, & ordine conueniat. Atque in eius quidem celebritate, quò religiosius omnis Clerus, populusque ad publicę preceationis studium excitetur, sermo breuis statis singulis horis à perito Sacerdote, qui orates uehementius inflammet.
- 4** Curabit etiam, ut omnes, & singuli peccata confessi, certo dominico: aliouè festo die, sacram communionem sanctè sumant.
- 5** Statas præterea processiones, quę speciatim ab uniuerso uniuersusq; Collegiatæ Ecclesię Clero, etiam Regulari, & ab unaquaque Ciuitatis, uel Diocesis regione in singulas hebdomadas fiant, certo præscripto modo instituet.
- 6** Certarum Ecclesiarum, in quibus præsertim insignia pietatis & religionis monumenta extant, uisitationem constituet, ut ad eas scilicet supplicandi causa, ac studio, uniuersiusque uicinię Parochialis populus collegiatim certis diebus conueniat.
- 7** Orationem matutinam, ac uespertinam ardentius excitabit: & uerò, ubi intermissa est, restituet quàm diligentissimè.
- 8** Orationem item sine intermissione, ubique, & in urbe, & in Diocesi, certa Parochialium, Collegiarumque Ecclesiarum, ac Monasteriorum præterea distinctione indicet, atque statuet.
- 9** Litaniarum etiam quotidianarum, quas, & domi, & foris, certis locis, in Ecclesijsque præsertim adhiberi curabit, certam rationem inibit.
- 10** Ieiunium, si minus in hebdomada pluribus diebus, at in feria sexta sal-

ta saltem, vel Sabbatho, præter statos vigiliarum dies à populo agi suadebit: alia præterea vere pœnitentiæ signa, diuinæ misericordiæ implorandæ studio suscipienda, demonstrabit.

11 In ijs quoque religiosis adiuuentis illud etiam adhibebit, vt vniuscuiusque Parochiæ quædibus, domicilijs, & habitationibus Parochi singuli, itata religiosa prece ritè benedicant, ad instructionis, eo de genere in hoc Concilio editæ, præscriptum.

12 Vt autem denique totius Prouinciæ populi supplicatione etiam adiuuetur, eo necessario tempore litteras de periculo, suspicione uè pestilentie ad Metropolitanum, ceterosque Prouinciæ Episcopos celeritè scribet.

### Cura Metropolitanæ, & Prouincialium Episcoporum. Cap. VI.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Metropolitanæ cura, que pietatis opera indicenda, Diœcesi Prouinciæ peste affecta. 3.
- 2 Coepiscoporum que item officia præstanda.

1 **P**estilentia, quæ vrbi, locouè Prouinciali imminet, periculo audito, Metropolitanus eam curam, cogitationemque suscipiet, vt non solum in Metropolitana vrbe, eiusque Diœcesi, sed in vniuersa Prouincia supplicationem, orationem, & alia pietatis opera indicat, litteris omni cohortatione plenis.

2 Reliqui Prouinciæ Episcopi ei, cuius Diœcesis ex pestis periculo laborat, caritatis officia nauare non different.

Illi animum, spiritumque addent, & maiorem omni officiorum oratione facient, ad Episcopalis, paternæque caritatis partes in pestilentia, si irrepserit, exercendas. Quod officium sæpius præstabit vicinior Eps.

Proposito etiam exemplo sanctissimi Pontificis Cornelij, & beati Cypriani Episcopi, martyrum, quorum alter alteri, in laboribus, & periculis versanti, litteras plenas consolationis scribebat, Episcopum crebris litteris consolabuntur item, & confirmabunt.

Curam etiam aliquam inibunt, ut de illius, & Diœcesis, & urbis statu certiores aliquando fiant, quo ardentiori studio flagrent subleuandi necessitates.

Stude-